



Georg 503

Frankfurter



Georgs-B.

*W. L. etabliert. vltius in co...
s iud 1 n. ad. ad. 2. i n d i s...
... in co 2. landabun...
Damt.*



t uide/
oietas,
s Chri

oximū
enera-
are ui/
uptus.
n uelut
multu
d Ger,
e nouo
c noua
e huius
cata.
animo
Prafer
anis &
uange-
ti. & ub.



IOAN. GERTOPHIVS ANDREAE
GARTANDRO IMPRESSORI, S. D.

His diebus hâc iter habuit Lutetianus quidam biblio-
pola, qui rogatus à me, ut mihi copiam faceret eorum
operum, quæ illic lucubrassent ingenia erudita: protulit
mox furiosissimū quendā librū Edoardi Lei in Erasimū,
unicum nostri seculi decus: quē dices non ab homine,
sed à Furia scriptum, usq̄ adeo totus insanit. Nā loqui
tanta bestia nescit. Cōtinuo arripui calamum, & pro in-
geniū huius mediocritate retaliaui non nihil conuitiantē:
nam æquare inauditas calumnias, superat ingeniū hoc,
quibus innocentem literarum patronum afficit: neq̄ fie-
ri potuit, ut quid ultra uerum in illū regererē: adeo uitius
uidetur totus ad opertus, homo natus ad maledicēdum.
Oro si uacat, prælis tuis quicquid id est, excudas, uel
ob communia studia, quæ studii hac opella tueri, aduer-
sus furentem leenam. Proximò mittā aliud quiddam,
falsius opinor, & magis ad rē. Vale, Vlmæ. v. Idus Apri-
lis. Anno M. D. XX.

R
IO
G
I



quod
flagiti
est sum
di uia
maxim
ratissim
in te u
decus
ni frau
dem sa
horum
re haet
fructu

RECRIMINATIO

IOAN. GERTOPHII ADVLESCENTIS

Germani, aduersus furiosissimum lycophātam

Edoardū Leū Anglū, qui ausus est primus

Erasmum candidissimum luto aspergere.



libet auspicari uerbis tuis gloriosissime Lee. Sic habent perditissimorum hominum peruersissima ingenia, quod ut qsq; maxime ieiunus est laudis, nihiliq; hō, ita maxime gloriam ardet, & ad hāc eluctatur: quoniā aperte nequit, nō solū per cuniculos, quod est ingenii argumentum, sed per impudentiam & flagitia, calumniādo quod dictum est simpliciter, quod est summae pietatis, quodq; publice conducit. Cuiusmodi uia nemini non uel ineptissimo latissime patet: & ut maxime est compendiaria, sic est multo omnium scelestissima. Id quod cum in multis sciolis, tum praecipue in te uidere est, Edoarde, Anglicani nominis insigne de decus & opprobriū. Quod tamen nolim optimae nationi fraudi fore: quando natura sic est comparatum, ut eadem saepe terra optima pessimaq; iuxta pducatur, quo illa horum comparatione magis grata acceptaq; sint. Extitere haecenus Angli nostri, plurimū utiles, & in uniuersum fructuosi. Verum ut illorum commoditas, sicut umbris

A ii & obscu

AE
D.

n biblio
teorum
protulit
Erasmu,
omine,
Nā loqui
pro in-
uitiantē:
niū hoc,
neq; fie-
leo uitis
licēdum.
das, uel
eri, aduer
uidam,
us Apri-

4 RECRIMINATIO IO. GERTOPHII

& obscuro picturam lux illustretur, subito tu erupisti terre filius. Cuius ne nomen quidem nosceremus, nisi nephariis factis, tam importune te ingessisses, infame gloriarum mancipium. Cui tot pestes in tam exiguum corpusculum conflatae sunt, quot uix peritus quispiam stilo exprimat. Atqui mirus artifex, te ipse obiiicis tuis coloribus expolitum, eterno odio omnium seculorum, ueritus opinor homo diligens, ne alius aequae pro indignitate ista posset. Absolutum superbi asini simulacrum te nobis effinxisti. Quid enim spiras, praeter animam gloriae sitientissimum? praeter sycophantias, calumnias, falsitates, perniciosas mendacias? quae tuus a deo Scotus interdicat, multis propositionibus, conclusionibus, corollariis, & replicis, quae tuae sunt deliciae: aut certe ita nobis uideri cupis: quem equidem auctorem iure tuum nomino, quonia Scotista appellatione uenire neminem censes, praeter Edoardum Leum Anglum, Theologorum Anastarchum. Tuo haud dubium iudicio periisti forex: dum declaras non solum huic seculo, sed omni etiam posteritati (nam tuis scriptis magna fiducia promittis immortalitatem) quam te nihil pudeat, quam insanias desiderio nominis, quanta ignominia contendas ad noticiam hominum. Quod quidem cum per se foedum sit, immerentem publice publicam occupare famam: tum uero praecipue detestabile est, & nefarium, quoties ille conatur ad eam, qui exitium est & perniciem publica. Quare assurgat omnis eruditorum ordo, ac declarabit quod monstrum animo iam aliquot annis alueris: quandoquidem istud fuit olim consilium, ut fieres uel exosissimus,

A
 sissim
 pessim
 taribu
 illustr
 irenet
 non t
 lenon
 bitate
 tu spe
 comn
 queri
 dituru
 repur
 Christ
 rus, ta
 tus: q
 Quot
 Eras
 & uol
 broru
 singul
 in ean
 dixist
 tione
 ret iud
 nec in
 cutere
 mo n

sissimus: modo boni meminerint Leici nominis uel in
 pessimam partem: tametsi praclara uetustas potius salu
 taribus auxiliis eò loci peruaserat. Adeo contrarius es
 illustribus, ut & nigrore tibi lucem asseras. O insanum &
 ueneticū caput, non unis antichyris dignum. Olim erit
 non tam fastidiēdū castæ adulescentiæ nomē turpissimi
 lenonis, q̄ Lei, ipsam turpitudinē & impudētiam impro
 bitate uincētis: propterea quod ille palam est malus,
 tu specie recti pessimus es, afficisq; damno nō ferendo:
 commoditatē tamen magnificis uerbis polliceris. Sic lo
 queris passim, quasi autoritatē sis scripturæ neglectæ red
 diturus, & emergētes errores acutissima ingenii tui falce
 repurgaturus, ex omni area scripturæ: quasiq; nutantem
 Christianismū, ut Atlas coelū, sis humeris unus sustētatu
 rus, tā inuictus ueritatis assertor, & illi domesticæ consue
 tus: quod tamen alii adhuc nemini cōtigit præ ignauia.
 Quotus enim quisq; est eorū qui probāt annotationes
 Erasmi, qui eas discutere sustinuit: iccirco unus potuisti
 ἀναστῶς συνοφαντέῃ, tam oculatus & acerrimæ censuræ li
 brorum bonorum Anastarchus, & tantū nō per apices
 singulos diiudicatas tenes. Libet subscribere pauca, quæ
 in eam sententiam ebucciuasti τῆ ἀγαθωνίᾳ ἀυλίᾳ. Postq̄
 dixisti nos opinione ferri, & opus æstimasse ab extima
 tione autoris, nō iudicio probasse, sic subiicis: Ut accede
 ret iudiciū, opus fuerat in librum penetrare, nec obiter,
 nec indulgenter, & singulos locos uelut minutatim dis
 cutere. Quod nemo præter te in librum penetrauit: ne
 mo nostrum locos discussit: nemo est ubiq; gentium,

A iii cui sit

6 RECRIMINATIO IO. GERTOPHII

cui sit aut ingenium aut industria? Vnus es albæ gallinæ
 filius. Mihi crede, contuli pleraque accurata diligentia,
 priusq̃ opus uulgo habebatur. Terniones enī singulos
 propè legi, Frobenio & Erasmo, meis præceptoribus co-
 piam ultro faciente: & me meus tenere amans permisit,
 ut animū simul in opere nouo explorē. Nihil obseruauī
 ex tuis compilationibus, cuius non monitus sit, priusq̃
 tu codicem uideras: Etiam si Erasmus unum & alterum
 candore quodam fateatur à te accepisse. Sed hi nostri ut
 sunt modesti homines, accepta satisfactione destiterunt
 esse deinceps molesti & obstreperi: quod non illos uexa-
 ret nominis desyderiū, quo tu te præcipitē in flagitia tan-
 ta contrulisti. Sunt quibus rem gratā præstitisti, pessimi
 inq̃: quos reddidit parū æquos Erasmo, aut ambitio,
 aut auaritia. Nā à ueteri salua desciscere, difficilimū est.
 Et iis quibus pingue ocium suppeditauit uulgi error,
 uidetur magnopere curandum, ne ad rastros redire co-
 gantur: eoq̃ nullum non mouēt lapidem, quo subolen-
 tem indolē opprimant. Illis tu es subsidio, cū inscitiam,
 tum malitiam ueterē, & imposturas plusq̃ impias, patro-
 nus uitiorū tā strenue tueris: & adhuc simulas animum
 Christianum. Et cum sis calumniatorum princeps, ad-
 uersus innoxium uirum calumniarū agis: & tamen offi-
 cium fingis, quod est grassatio insidiosa. Flagitium istud
 tuum sine exemplo est. Nusq̃ facile legitur quempiā exti-
 tisse amicum, & monitorem clācularium, ubi de hono-
 re requirentis consiliū ageretur, quod ille suas cōsultatio-
 nes in leges inuiolabiles sanciret, quibus nefas duceret
 parum

paru
 ut tu
 aut q
 dicta
 te int
 preec
 usu c
 illius
 omni
 Mon
 cillit
 erud
 offic
 Con
 Tibi
 accu
 cont
 uocit
 cior
 crede
 mun
 quā
 q̃ cui
 Thra
 tarun
 omni
 actur
 toru

parum adfuisse: præsertim si iuuenis, rerū omniū rudis, ut tu es, peritissimo seni, sicut est Erasmus, consuleret: aut quod arcana monita, & in aurem remotis arbitrīs dicta, cōpilaret in uolumen, unā cū dictis ab incogitante intra parietes, & euulget tali modo. Tū ne es ille, qui preecat Erasmo, hoc est uiro ad miraculū docto, longoq; usu consueto priscorum pietati, puer ipse & barbarus, & illius libris legendis uix tenuiter tinctus: sine quibus in omni ope, ne mica quidē salis aut fellis guttula extaret? Monui inquis simpliciter, excitatus à conscio suæ imbecillitatis. Nā ubiq; Erasimū facis nudiorē leberide omnis eruditionis, præcipue tibi collatum. Quid igitur functus officio, posthac nō agis quietē, & desinis esse molestus? Consiliū enim quod dedisti, in ius accipientis transit. Tibi publicare istud nō licet, nec defendere, quod nemo accusat. Siquidem inter te & illum, ut est natura consilii, continetur. Sed ludit, inquis, mea, iugamenta interim uocitans. Magnū inquam flagitium, quod amicū procaciorē senex modestissimus corripit. Ludibrium illud, crede mihi, censorium fuit: confidentiā adimens, acerrimum hostem ingeniorū: quæ nulla re fortius premitur, quàm irrisione: nisi pertinacior est, eo malo corruptus, q̄ cui mederi queas, sicut est morbus tuus cōfidentissime Thrasibule. Is obstabit magna destināti, efficietq; ut multarum literarum ardēlio, nullarum tamen uere sciis per omnem uitā euades. Istiusmodi incōstantes desultores, ac turbidos placida Minerua non dignatur: quin potius toruū obtuēs bellaci hasta traicit. Quēadmodū enī illa

uiua.

8 RECRIMINATIO IO. GERTOPHII

uiuatiōra reddit candida ingenia, & ea solida gloria illustrat: ita saluari cōsilio maligna, quæ nacta est, debilitat. Nec cōmittit ut eis unq̄ succedat uel mediocre nomen: quoniã nomē nō est, quo notus ab omnibus fastidiris. Itã ne uero, quod in stultis mulierculis est uitiosissimū auiditas gloriæ infana, & huius causa tanq̄ bacchātium furiosa tumultuatio, hoc occupasse libet, quem à leuitate sexus, à dementia, literarū sacrarū autoritas: à calūniis perniciosis, Christi decreta deterrere deberēt? At gloriarū sitis, cui uis est maxima, sic te excæcauit, sic reddidit ex malo pessimū, & ex uano mēdacissimū, ut auderes repetitis uerbis asseuerare illū affectasse bellū: oīa q̄ huc torqueas, ut orbi uideatur Leus Erasmo imminere formidabilis; & q̄ huic priori fuisset animus tecum decernēdi: opinor huius gratia, ut olim feratur in catalogo præclarorum facinorū Erasmi, eū fuisse tantū, ut & Leus aduersarium non sit dedignatus. Nam confusissima uerborū congerie narras, te detrectātem pugnam, in harenā inuitissimum productum. Quanq̄ id nemini prudēti uerisimile fit, conabor tamē ostēdere ex tuis uerbis, causam diffidii esse, confirmatum animum quoquo modo eluctandi ad gloriam: simulq̄ incōstantibus istis friuolisq̄ rixis, & criminationibus respondere pro meo præceptore: quo simul atri quidam, hoc est, tui similes, uideant animi tui teterri-
mos istos morbos. Principio insulsam fabulā argutulus commētariis longo quodam uerborum tædio: subinde mentiens Erasmus istius incēdii autorē, & ambientem tecum pugnare: quasi is fueris quo cum uelit aliquis, uel
inter

A
inter m
sine cor
tionibu
etum et
omnib
durum
bus per
uideo, t
scis, im
stultulu
solent u
to om
Nam E
tuto ser
ut tū ro
illum d
tæq̄ cer
trichis a
initio n
Qua in
gniter f
rus est a
iudicia
us refici
est olite
uir extr
mel atq̄
Nec fac

inter multos habitus congregari, nedum Erasmus noster sine controuersia incomparabilis: eamq; sine confirmationibus credendam obtrudis istiusmodi uerbis: Hoc sic factum est, hoc sic Erasmus scripsit, hoc ego illi: Equidem omnibus oraculis ueriora, ille gerris Siculis uaniora. Os durum, quasi sit tatus Leus, ut orbem sufficiat sine testibus persuadere ad pronūciandum pro ipso. Quantum uideo, truncos, non homines nos existimas. Quare si nescis, impotentia animi tui, & immodica gloriarum sitis stultulum Leum extimularunt ad tantū flagitium, quæ solent uidētem etiam excæcare, & ex malis reddere multo omnium pessimos. Id quod colligo certis cōiecturis. Nam Erasmo consuetudo est, de suis monumentis instituto sermōe, maxime de nouo testamēto à se castigato: ut tū roget à recētiore amiculo, quo se moneat. Quod si illum deprehendit esse confidentiorem & procacis stultæq; censuræ, ut sunt bona pars eorum, qui à Dialecticis trichis ad literas elegantiores diuerterunt, non solum ab initio non reiicit hominem, sed ut pergat ultro inuitat. Qua in re uidetur uehementer oblectari, tum quod insigne stulte dictū, natura iucundū habetur, tum quia mirus est amator ingeniorū, & auidus audiēdi diuersissima iudicia. Nec est facile aliud, quo se lassum à labore, lubētius reficiat recreetq;: memor illius, opinor, Sæpe etiam est olitor ualde opportuna locutus. Atqui consequitur, uir extra omnē aleā doctus, ut quiuis sciolus, quo cū semel atq; iterum fuit colloquiū, illi se gerat præceptorem: Nec facile dederis, cui sint aut plures aut stupidiores præceptores.

B ceptores.

ceptores. Quo fit, ut hominē esse doctissimū, tot magistris operam dantem, minus forte mireris. Audiui ipse cuiusdā magni Mydæ Theologici nominis ministrum, qui ab hero suo asseueret Erasmum adiutū, plus minus sexaginta locis. Ausim iurare, illum ne nūc quidem satis tenere, quæ reparator ille extinctę Theologiæ, præter opinionem scholasticorū, memoriæ prodidit: quoniā alienus, ut iste est, à ueris studiis, ea haud temere cōsequetur. Occurrit interim, & si perraro, p̄bus quispiā & eruditus congerro, cōmonefaciēs candidē, nō de friuolis nugis, sed de rebus ipsis: hunc omnibus modis amplectitur, extollit iudiciū, testatur consiliū hominis ipsi plurimum adiuuenti fore. Sic solet falsis laudatiunculis, aut incendere ad literas, aut in officio dubium amicum continere. Quis enī non familiariter consuetus uetustis autoribus, præibit Erasmo: cui excussa, cognita, meditataq; est utriusq; linguæ antiquitas? Quin barbarum & petulātem, si quid indolis præ se fert, humaniter tolerat, laudat etiā, hortatur ut gnauiter pergat: nihil expectans q̄ ut extimulatus ad lectiōnē sic queat melior fieri. Caterū si quis id officii parū intelligit, propter occupationē ambitionis, ut gloriæ desyderiū uehementer excæcat: tū omissio fucos liberali quadā utitur rephentiūcula: intra pelliculā ut sistat, monet, quoad contractis undiq; auxiliis expatiari tuto liceat: quādo præcocia ingenia raro ad frugē perueniāt. Cuiusmodi te reperit perditissime ueterator, quātum ex uirulentis tuis apologiis cōiicio, sed insaniore, sed magis desperatum q̄ cui malagmate subueniendum. Caetero
opus

opus el
uissime
mus: &
pulabu
Import
Miseret
cicadan
tam ua
q̄ candi
instas i
quātun
balano
requiris
& cymb
Tale m
Vidisti
quarta
nimirū
ris inge
ambis i
illustris
mihi au
securitat
ebriū an
lescēs ei
amicus
tionibu
ampliu

opus est, imò fustibus & uirgis, quibus tergū tuum igna-
uissime hominū, si in manus nostras incidere, inscribe-
mus: & istæ tuæ barbaræ nates mastigia perditissime ua-
pulabunt, hoc enī genus dæmoniorū nō aliūde eiicitur.
Importunus monitor annotationes iactare non cessas.
Miseret me Erasmi, qui pertulit tantisper obstreperam
cicadam, sophisticā malū, sed quauis muliere loquaciore,
tam uanū, tā gloriosum Thrasonē. Ipse doces, q̄ ciuilliter,
q̄ candide garrulum Leū ille ablegarit: sed etiā atq; etiā
instas indefessus, ut musca solet à facie scribētis abacta:
quātum uideo, stomachus Horatianus nihil proficeret,
balano quodā felicitis cerebri tibi opus esset. Quid aliud
requiris nebulo tanta impudentia, q̄ Apionē quendam
& cymbalū mundi, per quē donareris immortalitate?
Tale monstrum hominis notum esse posteris affectas?
Vidisti opinor laudatā Moriā, laudatum caluitiū, febrim
quartanam, & id genus pestiū: iccirco existimas Leum,
nimirū pestilentiorē, si laudetur, haud paulo plus Orato-
ris ingeniū declaraturū: eoq; nomine, ut uideatur, amice
ambis immortalē stilū Erasmi, quo id commēdationis,
illustrissimæ hoīs famæ accedat apud posteros. Videor
mihi audire Erasmū, postq̄ te sentit impatientissimū ob-
securitatis, & hac uia ad nomē affectare, & deploratū &
ebriū amore noīs, edisserētē in hāc sententiā (Nā quis adu-
lescēs eius uerba referet?) Nimiū diligēs es & officiosior
amicus Edoarde. Nihil enim opus est deinceps annota-
tionibus, parce calamo, parce laboribus, parce utriq; ne
amplius desudes: qua in re mihi molestiā pareas: operā

B ii istam

12 RECRIMINATIO IO. GERTOPHII

istam tuā mi Lee nihil moror, nec utilis est ad rē quam paro: & tibi uides magni momēti: sic ocio utriq; cōsules. & cætera id genus, quibus opinor furiosos impetus Lei cos à se auertere catus ille tētauit. At buxo præfractor es, & addis semp ad summā prioris impudētiæ, & exasperas amica obiurgatiūcula, quæ sanū pectus sibi in amorē pducere sufficeret. Quid aliud captas uanissime nebulo, q̄ ut improbitate extorqueas, tui memoriā sic demittere ad posteros? aut certe nācisci ansam calūniandi uirū illū quouis cubo cōstantiorē, & probitatē integritate etiam uincētē? Hæc est excitata tragœdiæ, hæc est inq̄ uerissima causa, quā ha luce clarius tā lōge absentes perspiciamus. Nec est, quod queas uersuta malignitate eandem obscurare: quanq̄ narras prolixā fabulā, rhetorū more, ut ostēdas quomodo natus sit rumor, Leū quiddā scripsisse in Erasmiū, deinde qua occasione diuagatus: quasi rumor sit qui nondū diuagetur, sed intra cubiculum subsideat. Huiusmodi proprietates Romanæ linguæ & prudentia diiudicandi tua condit. Deinde fretus candore lectoris, ut doceas quod nondū proposuisti: nēpe quod Erasmus imbecillis, te Achillē in harenā prouocarit: & fortissimū argumentū sumis, quod ex præceptis Oratorū ad caput confirmationis collocatur: idq; explicas poetica quadā phrasi, hoc modo. Statim à principis Caroli discessu ad Hispanias, Erasmus hāc florētissimā academiā cōcessit, meam domū descendit, salutauit. Dii boni quid non expectemus ab eo quē Erasmus ipse prior salutaturus, peregre ueniens statim inuisit, opinor anteq̄ suū inspiceret cubiculū?

A
cubicu
quæ p
adeoq
uilo cu
id gen
ceptū a
statim
pat in
quo ca
curiss
tam ob
dam E
etiam
fastiga
prope
Italum
quod t
officin
uiris co
& doct
les liter
tim è c
uiris an
propte
cramer
tamest
tus est
dulitat

cubiculū? Quanta lux Louaniensiu? & ea nos hic latet, quæ potuit etiam Erasmum pellicere ad se fruendum, adeoq; mox ab itinere. Mirū quod non addis, nondum uiso cubiculo suo, mox ab equo descendens: & cætera id genus, quæ properantiā queant indicare. Contra præceptū artis tuæ, hoc est sycophanticæ, fecisti: quo ne quis statim se aperiat, sed per anfractus & dissimulanter irrepat in animū auditoris, præcepisti: nisi aliud es imitatus, quo cauisti, ut cupiens feliciter *συκοφαντῆς*, præ se ferat se curissimā quādā fiduciā. At quis credet obsecro, Erasmū tam officiosum Leo fuisse? quem scio, ab erudito quodam Episcopo ter uocatū ad prandiū, toties neglexisse, etiam ubi ille misisset nobilem comitatū & mulam, ne se fastigaret, & aliunde recens hospes & amicus aduenisset, propediē abiturus: neq; aliud ad Basileā tātū principem Italum illexit, q̄ cupiditas uidendi salutādiq; Erasmum, quod tandē consecutus est. Nā ipse pedes à taberna ad officinā Frobenii descēdit, multis nobilibus & præclaris uiris comitatus. Quāta ueneratione Episcopus & Italus, & doctus Italus priuatū Germanū propter incomparabiles literas appellauit? Et audes tu Leus iactare quod statim è curru te inuiserit, quasi notissimus, fama illustribus uiris antestes. Sed iuras religiose, te nihil in his mentitū: propterea credamus rē minime uerisimilē: Leus enī sacramento asseuerat, & eam gloriam tibi ne inuideamus: tametsi optimos amicos apud nos agēs, ille non dignatus est accedere: quod ne interpteris inhumanitatē, sed sedulitatē potius ad literas, nimirū ne quid tēporis inane

14 RECRIMINATIO IO. GERTOPHII

& ociosum friuolis officiis trāsmitteret: adeo quod agit, semper agit: hoc, est, scribēdis libris publicæ consulit utilitati. Verum, ut scribis, properauit ad te literatū gratias: nempe ut tu præscriberes, qua ratione deberet castigare suas in nouum testamentū annotationes, & ad laborem ut ipsum doceas capeffendum, te obnixè hortatus est. Video & sentio cōsiliū tuū magnifice uir. Vis nobis persuadere, ab aula redeuntē Erasmiū nihil tētaffe in testamēto recognoscendo, nisi te uiso & rogato præceptore, qui ceu uirgula diuina donatus, ius habes, quod te offendit, orbi legendum interdicere: quod facit ad stomachum, præcipere ut legatur: neq; etiā potuisse Erasmus quicq̃ in refingendis annotationibus, si nō tuis præiudiciis uoluisse niti. Quā frigide autē probas te monitoris prouintiam inuitū obiisse, propterea quod suppudebat p̃dere infantiam apud eloquētissimū uirū: quam tamē modo ipse tradidisti ridēdā orbi, cui te scribere testaris. Et propterea, qd' prælagiebat animus quæ nūc secuta sunt, qui tamen hunc animū ex Anglia attulisti, ut Erasmo Antimachus uideri uelles, & eo nomine in admirationē hominum eluctari. Præstigiator itaq; Erasmus, uiribus linguæ non te perpulit ad id, quod sponte tua suscepisti. Videamus nūc Giganteū robur pusilli istius corpusculi. Ingredior inquis palæstram, non cum quouis homine, sed cum deo. O fortitudinē. Et addis, si Diis placet, satis false, ut quidā putāt huius ætatis: nēpe eò opinionis eua sit apud quosdā, ut in literis quocūq; spectet, extra oēm ingenii aleā habeat. Sed statim meritas do p̃enas tātā
tente

A
 temer
 ras. Di
 currit
 aleam
 raram
 dis pal
 tasse fe
 aut qu
 tam re
 & quo
 tam o
 inimic
 uidia c
 quod
 ptius e
 uiliter
 lit liuo
 solem
 quod
 nas pa
 tissima
 ciat: n
 quod
 annot
 futos
 insign
 rum de
 tam in



temeritatis, & cætera quæ simili stultitia cõsequenter nar-
ras. Dic sodes mi Lee, Num sani sunt, quibus ubiq; oc-
currit Erasmicum ingeniũ admirandũ, & extra omnem
aleam? Num uertendis Græcis, explicandi facultatem
raram & admirabilẽ exhibuit? Num Tragœdiis uerten-
dis palmam præripuit, etiã Italis? Certe nullum uidi ten-
tasse felicius. Cui cedit sua eloquentia & neruis linguæ?
aut quis intra aliquot secula Theologiam potuit ad uir-
tam reuocare, præter illum ipsum, qui tibi est tam uilis,
& quouis m̃cipio abiectior? Sume carmẽ, sume solu-
tam orationem, siue seria, siue ludicrã sit: & fateberis
inimitabile quiddam, etiamsi mucosus es naribus, & in-
uidia corruptus. Scio me facerẽ ingratissimã Erasmo,
quod eius laudes utcunque delibo, cui non paulo acce-
ptius est, si celas quàm si celebras eius dotes: tamen si ci-
uiler benignis laudatoribus respondet. Sed me perpu-
lit liuor tuus, qui libere & uere pronunciantes Erasmus
solem & insigne sydus esse, quoniam orbem illustrauit,
quod quidem est hac luce clarius? Tu tamen nos nomi-
nas palpones. Vt rumparis, non cessabo Erasmi pruden-
tissima censura fidere: Oraculum esto, quod ille pronun-
ciat: mendacium, impostura, & nota corrupti animi,
quod Leus. Nec mireris quod ludibrio fuisti, stultis tuis
annotationibus primum lectis inter elegantiores & na-
sutos. Quid enĩ magis ridiculum, quàm inexpectata &
insignis stulticia? quãdo nemo sperasset Leũ decertatu-
rum de tam friuolis nugis, tã sycophantice, tam gloriose,
tam impudẽter, quod est proprie deridendæ demẽtiæ.

Hanc

II

agit,
it uti-
ratia:
cigare
orem
is est,
s per-
tamẽ
e, qui
ndit,
hum,
quicq̃
uis uo
ouin-
pdere
modo
t pro-
nt, qui
Anti-
nẽ ho-
us lin
sti.
usculi.
mine,
et, satis
is eua
ra oẽm
as tãtã
tepe



Hanc quis non rideret? Quamobrem non satis proprie te nominarunt stupidum & leuem: debuissent autem uocasse, ut es, stipitem, & lenone impudentiorem, qui tanto flagitio grassaris ad nomen parandū. Ad Dialecticam si te remisit Erasmus demiror, qui ad rus esses potius relegandus, ignarus rei grammaticæ, qua sine frustra tibi sudabunt artifices ueritatis. Ita enī scribis, ut magno negotio queā intelligere quid nam uelis: nec mihi polliceor sensum animi tui planè assecutum, nisi quod ubiq; sycophantam agis. Melius esset consultū nobis, si etiam ad hanc priorem inuestiuam tuam adhibuisses domesticum oratorculum, qui alterā non minus feliciter quā mendaciter scripsit, & planè alterū nobis Leum effinxit. Et ut pergam, cōcessit forsan Erasmus inepte asseueranti decem & octo locos per te indicatos egere lima, quem admodum gloriaris: & si uera scribis, uix unum uel leuiter tuendum suscepit. Atqui, ut scias, id est homini perq; peculiare: haud enim temere contendit usq; ad scholasticam leuitatē cōtra uerbosos: sed illis pro tēpore quiduis annuit, significat tamē interim callidis, qua ratione qui uisset pro se satisfacere: quod & interpretor ab eo tum factum, ubi unū quiddam aduersum te leui articulo defendit. Quanq̄ olfacio subesse falsum, & rē aliter se habere, quā tu cōmentaris: quādo tā anxie inculcas Erasmus rogasse multis & sapissime ut se moneas: nēpe quoties ad colloquium uentū esset, semper illi primum fuisse sermonem: Quando Lee incipis nos admonere? quādo aliquid ad nos das tuarū annotationū? Quæ omnia huc spectant,

A
spectan
accessit
lut laby
potuiss
accōm
Le. Nu
inuitun
auelli à
Et tam
adhuc,
cibus. I
stultissi
tissimu
dum e
adules
annot
uspian
tisse ea
tam in
nibus
quod
faceret
nicas,
tuas ob
ribus p
proge
causar
tuis, te

spectant, ut pii lectores tibi ferant acceptum, quicquid
 accessit alteræ additioni: ac ut orbi uideatur, quod ille ue-
 lut labyrintho inclusus, nisi te ducem nactus esset, nunquã
 potuisset se expedire. Apparet multa ad hunc scopum
 accommoda, de tuis accessisse ueritati: Sicut illud ubi dicis:
 Le. Nunquã cessauit obtundere, quoad impulisset propè
 inuitum. Nam tunc mihi grauissimũ fuit, uel momētum
 auelli à græcis literis, quas utcũq; iã ante degustaueram.
 Et tamen nõ poteram hoc officium negare, etiã si recētis
 adhuc, amici tamẽ (ut putaueram) tam importunis pre-
 cibus. Hactenus tua uerba recensui. In quo tãdem seculo
 stultissime ardelio hæc mētiris? num in eo, quod floren-
 tissimum est, in quo renascuntur consopitæ & propè mo-
 dum extinctæ literæ? In quo passim græce addiscitur: &
 adulescentia tota contestatur, ex nouo instrumento &
 annotationibus Erasmicis facilius græce addisci, quàm
 uspiam aliàs. Num te pudet uanitatis, qui finxeris obsti-
 tisse eam lectionẽ græcisflurienti? An iudicia eruditorum
 tam insigniter cõtemnis? quasi nemini nasus sit, & om-
 nibus facile sis persuasurus, te plus græce tum sciuisse, quã
 quod nouum instrumētũ perlectũ, & discussum aliquam
 faceret accessionem. Efflãs deinde glorias plusquã Thra-
 nicas, & facis Erasimũ tam supplicẽ, & efflagitantẽ nugas
 tuas obnixissime. Adde quod ea quæ sequuntur, superio-
 ribus parum cohæreãt: Imò ut è lapidibus Deucaleonis
 progeniti, ita illa tua se mutuis uiribus collidũt. Primum
 caufaris, lectis inter amicos Erasimicos annotationibus
 tuis, te irrisum: mox subücis, eũ se fassum iure rephesum

C in decẽ

in decem & octo annotationibus, & ex animo egisse gratias: & importunis precibus sollicitasse, quem superiore charta fecisti contumeliose reiicientem industriam tuam. Non es tam felix, quam frequens in fingendis mendaciis. Est in rem studiorum, quod nondum litasti Musis, quod facultate dicendi cares, quam tribuis nostro duci tanto odio, ut ei fidem deroges. Nescis enim nigra in candida uertere, nec est contrario candida in nigrum, tamen sedulo conaris. Alioqui teterrimus nobis Erasmus esset: & Leus, qui est quouis coruo turpior, olores albedine uinceret. Nam in hoc prono pectore incumbis. Quod autem facilem te atque simplicem credamus, nihil dum persuasisti: utpote confisos tot uersutiis tuis, tot dolis, tot fraudibus plusquam uulpinis: cuiusmodi per omnem Apologiam aperte conspiciuntur. Nec nostrum studium impetrabis, odiose predicando officium: nempe quod tuis studiis utilioribus intermissis, hoc est, inflexionibus graecis, quas tum discebas, posthabitis, totus nobis desudaris: nec apiculum quidem in nouo testamento, non exploratum, non uersum (sic enim loqueris) non excussum reliqueris: quo sic exiret communitum, ne uel Momo ullus ad calumniandum locus pateret: idque tua referebat, ne uel somnolentia uel inscitia te lector danageret. Proptereaque ex latibulis portenta producta deturbaris alter Hercules *αλεξιμανος*. Qua in re uideri uis amicitiae muneri abunde respondisse: quandoquidem miseris tertio quoque die annotationes, quo ad usque ad centum & quinquaginta locos summa assurgeret, ne quis uel iudicium uel assiduitatem requirat. Haec ipse de te. Quibus aperis,

aperis,
& huius
quam
nunquam
dit aliqu
dis ad
apud
insulso
centia
rulentis
detesta
notatio
magna
rulentis
adulesc
state ca
delituit
bonis d
Nec m
steris, e
dendo:
centies
regem,
ut in uer
eruditus
turbabit
assuevit
quente

aperis, quæ corde celas, nempe animum inopem laudis, & huius desyderantissimum. Quare, si nescis, lectores, quàm libet nos insidiosè optimos nominas, in tua signa nunquàm cōcedemus. Nescimus debere illi quicquid, qui nec dedit aliquid, nec dare potest, exceptis sycophantiis instructis aduersus parentem renascentis literaturæ, præsertim apud Germanos, ut modeste loquar. Libet sales istos insulsos non clam ridere, quod ab Erasmo factum magnificentiæ tuæ dolet: quin uoluntas est nos cachinnis amarulentis & felle plenis traducere, & non inscitia notare, detestari autem ceu inscitia patronum: nec uocabimus annotationes tuas minutas nugas, sed asseuerabimus eas magna esse flagitia, furores, uenena pestifera, bestiolarum uirulentæ. Siquidem moliris extinguere in herba modo subadulescentem Christianismum, exerentem hactempore caput, qui saua barbarie implicitus, aliquot seculis delituit: imò iacuit propè cōclamatus: ne quid de studiis bonis dicam, quorum ex professio es hostis, καὶ ὀλεθρετικὸς. Nec multum promouisti, Angliæ tuæ & passim monasteriis, exempla tuarum, ut uocas, annotationum obtrudendo: Et occulto ingenio spargendo rumorē, Leum esse centies græce doctiorē Erasmo, & in Theologia planè regem, qui magnum illum Erasmus confecisset. Nam ut inueniant similes labra lactucas, nunquàm tamē bonus & eruditus quispiam cōmouebitur fumis istis: nec ille multum turbabitur etiā in orbē iam æditi. Nam mostris pridem assuevit: nec minus deterretur homo cordatus quàm asina loquente Baal olim turbabatur. Adde quod orbis est eru-

C ii ditior

20 RECRIMINATIO IO. GERTOPHII

ditior, quã ut locum det istis tuis mendaciis, quãmlibet nostras appellas conscientias. Cui etiam iudicio præpollente frustra quis responderet, ut qui tua ne legere quidẽ dignatur. Et si Erasmus ingenii tui malitiam perpendit, nihil profecto respondebit. Quis enim aperta mēdacia, si noscit, & tã insulsa laborat eluere, contra loquacissimũ Sophistam? Cui pro uno mendacio ceu telo erepto, tria semper in locum succedunt. Quo ore autem reliqua potuisti scribere mi Lee, quæ tanta impudentia scatent? Ut agis ubiq; Thrasonem, ut insultas, ut flagellas senẽ, ceu sæuus ludimagister puerũ dictata perperam referentem. Nam fingis ab initio tibi perpetuũ morẽ fuisse, ne quid mitteres nouarũ annotationũ, nisi accepto prius responso de ueteribus. Tam facili usum esse Leum Erasmo qui credam? Sed à uia non aberras. Narras confusanea quædam, & male consistentia mendacia cõsuis: quæ omnia uergunt eò, ut quicquid in nouo testamẽto mutatũ est, tibi acceptum feramus, præmõstranti uia Erasmo. Tam stulta sunt aut, ut me pigeat rememorare: toties inculcas te misisse annotationes, toties illum respondẽdo incauisse: toties tragice decantas, quod operam perdideris, in nigratũ collocans officium: quod retinueris apud te reliquũ annotationũ, tũ q̃ ille proribus nihil respõdisset, tũ quia nihil expetiit amplius: quod tuis furtim abusus annotationibus, locupletarit nouũ testamẽtũ: & sexcẽta id genus. Si tibi sensus hominum cõmunis, puduisset te hercule tantæ uanitatis, & tã magnificorũ mēdaciorum: maxime quãdo uidisses tuũ sermonẽ fictũ præter artem,

sc̃q;

A
sc̃q; ip
duisti
inuitu
nõ per
teris, in
Mox h
nam, s
cedro
tinuiss
perire
quod
supere
iorem.
quam
sti, qu
men a
sanctul
monit
tentiar
Magist
perdis
amicu
dus est
traduce
emend
Virtute
tos am
nõ mo

seq̄ ipsum eludentē. Nam quanta uerborū congerie stu-
 disti reddere uerisimile, quod ad agendam cēsura sis
 inuitus ppulsus ab Erasmi, ut uocas, Syrenibus: alioqui
 nō perditurus ociū, quod dulcissimū dedicasses græcis li-
 teris, in quibus potuisses esse aliquid, si per hūc licuisset:
 Mox huius tragœdiæ oblitus, aliā nobis occinis cantile-
 nam, sensisse te stomachum Erasmi, nec approbasse illū
 cedro dignas annotationes tuas: deinde te eas tecum re-
 tinuisse. Et alter Leus ingenue fatetur, quod nolueris tuā
 perire foeturā. Hæc uerissime. Nā imortale facere studes,
 quod in diē partū est, uel potius in horā. Longius enim
 superesse admonitionem iuuenis, maxime aduersus ma-
 iorem natu, & peritiorem, nefarium est & flagitiosum:
 quam tamen furiosule, tanta improbitate superesse cura-
 sti, quo posteritas habeat Leicæ perfidiæ specimē. Et ta-
 men audes homo sacerdos & Theologus, si Diis placet,
 sanctulus quoq̄, deierare per sacra, dūtaxat egisse officiū
 monitoris: quod quidem expirat, ubi tuā aperueris sen-
 tentiam. Nouum genus calumniandi, artis sycophaticæ
 Magister inuenisti: prætextu monitoris, quantū in te est,
 perdis innocentē. Quis unq̄ bonus extare uoluit, cuius
 amicum petentē commonescit. Gratiarū chorus ut nu-
 dus est, & sine fūco: ita est secretus & tacitus, pdesse uult,
 traducere nō uult amicum. Ad aurē clam corripit: quod
 emendatū est, expungit memoria, nedū prodit alienis:
 Virtutem autē prædicat, in oculos omniū ingerit, & mul-
 tos ambit cōscios gaudii sui. Cōtra tu, quod optimū est,
 nō modo celas, sed adulteras, aliò rapiēdo q̄ dicta sunt:

C iii quæ

ibet no
 epollen
 uidē di-
 pendit,
 edacia,
 acissimū
 pto, tria
 iqua po
 tent: Vt
 enē, ceu
 rentem.
 ne quid
 respon-
 smo qui
 nea quæ
 æ omnia
 ratū est,
 no. Tam
 sincipas
 do inca-
 rdideris,
 s apud te
 pōdisset,
 m abusus
 & sexcēta
 diuisset te
 aciorum:
 ter artem,
 seq̄

22 RECRIMINATIO IO. GERTOPHII

quæ uero parum existimas cõmunita, & idonea, ut arro-
dantur canino dēte, penitus laceras, discerpis, dissipasq̃:
simulq̃; opinor, ut catella cauda corā blandiris, ubi ma-
xime niteris momordisse. O perfidū caput cõminuendū
lapidibus. Tam ueneno ore contingere audes mēsam
Christi? Hypocrisis & pestilēs simulatio te beat, & tuef.
Credula pietas in te, ut audio, ueneratur sanctimoniam:
qui tamen cõspurcatus es, & magis perfidus, q̃ periurus
leno, & magis noxius illo. Nā hic nihil obtexit malitiæ:
peritura adulescētia satis ē præmonita, ut caueat illecebro-
sas insidias. Tu uero cū sis pessimus calūniator, tamē sim-
plex animi, & defensor christianæ ueritatis uis haberi: &
is habitus esses, si mūdus tā stolidus foret, q̃ tibi uidetur:
quanq̃ ignauum quendā populum in tua signa facile ro-
gabis. Sed qui duntaxat uolūtate perniciosus est bonis,
effectu esse nequit, propter ignorantia & socordiam: illi
uentres pigri, malæ bestia: ociosus inq̃ grex ille, quem
uulgus alit suo malo: quibus nihil horribilius est auditu,
q̃ quod mundus modo resipiscit. Vnde uidetur ipsis res
ad Saguntinam famē reditura: ut forte nō mirū dixeris,
si pro inscitia tuenda, ultima tentent, quando ea istis
crassulis pingue ocium abunde suppeditat. Præterea glo-
riaris, de scholiis Erasmi paucis diebus excussis per te,
quod pacē cum Erasmo sancire paratus fueris: quod de
causa securus, tum reuerendissimū dominū Rosensem,
tum Atensem hominē tui simile, feceris iudicem causa:
Erasmus aut captant latebras, sibi male cõsciis, & cætera.
Quid malū pacē quæris, ubi nihil causa: dissidii nisi ma-
lus iste

lus iste
mon
iudic
Rose
niam
Verū
Etian
quid
tation
dum
habu
operi
& cau
Vide
& me
Vis le
mach
ris in
nimir
& ali
impr
illo u
Atqu
mori
liqua
nica,
iudic
abstir



lus iste animus tuus? Frigida nugamēta, & seditiofas ad
 monitiones aboleas, & pax cōstabit. Quorsum est opus
 iudice? Quanquā equidem nō admodum refugerem.
 Rosensem Episcopum, si non est per te demētatus: quo
 nam eruditus est, & amicus Erasmo, non minus q̄ tibi.
 Verū Atēsī Sophistæ, cognitio uetustatis quis cōmittet?
 Etiam si esset syncerus, & ab odio liber. Deinde nō uideo
 quid causæ sit, cur tantopere celas Erasmus, librū anno
 tationum: quē tamen ipsi præsidio fuisse toties affirmas,
 dum recognosceret Basileæ nouum testamentū. Si non
 habuit profectus Basileam, quid tibi laudem totā æditi
 operis arrogas? sin habuit, quare comunicas paucis,
 & caues tā anxie, ne chartæ excusæ ad illum perferantur?
 Vide quorsum te rapiat libido nominis, quā muliebrē
 & morosum faciat, ardentiq; flamma inconstantiorē.
 Vis legi tā eruditas annotationes, perq; eas haberi Anti
 machus Erasmo: rursus non uis, ut ab aduersario uidea
 ris in arena. Modo in mētem uenit, quid nā captabas:
 nimirum, ut late proserperet liber per cœnobia omnia,
 & alioqui ad homūculos quosdā tuæ factionis, Erasmo
 imprudente, ut sic per ætatem uires acquirat: interim autē
 illo uita functo, citra puluerem ageres incruētā uictoriā.
 Atqui stultū cōsiliū istud: tot relinquet affectatores olim
 moriēs, ut in mortuum nemo facile impune scribet. Re
 liqua omnia huius sunt moneta, inepta, ridicula, Thrafo
 nica, demētia, & blasphema. Nā ad cōscientiā & animi
 iudiciū appellas, quod nullum ueris. Quare calamum
 abstineo, ne stulto uidear respōdisse iuxta stulticiā suam.

C. iiii. Nam

24 RECRIMINATIO IO. GERTOPHII

Nam res ipsa se aperit, quæ non impedierit Erasmus æditionem, sed insidiis excipere conabatur excusas chartas, ut in tempore priusquam tuis mædaciis occupasses uacuum & imperitum lectorẽ, ueritatis responsionẽ submitteret: quod uir tantæ conscientiæ, tam securus de causa, non debuisses prohibere. Respõdebitur annotationibus à quodam erudito: & si res est apertior, quàm quæ argumentis sit conuincenda: sed id operæ tribuetur quibusdã religio-
sulis: qui chameleontem superãtes uarietate, anno superiore cogitarunt mutare conditionẽ & cucullam: & ut in hoc haberent fautores optimates, animũ præ se tulerunt uerioris literaturę: modo uero, ceu uerso pollice, odiosissime, perinde atque stultissime destomachãtur in omnia bona studia, præsertim à tergo. Eum animũ, ut uidetur, inspirauit illis aut nacta uiciorum impunitas, aut licetia quàm pridẽ amplior, aut oblata interim noua occasio libidinandi, aut certe hæc omnia simul. Huiusmodi uiris tua olent amaricinũ, bonis autẽ oletum foetulentissimũ. Vale gloriosissime Lee, & sycophãtismũ à me expectes: quo promitigabo quæ hic uideri possunt liberius dicta, & magis ad naturam ueritatis, blanditiis uti nescientis. Ex Vlma, quinto idus Aprilis, Anno, M. D. XX.

HERMANNVS BVSCHIVS EQVES
GERMANVS, IN LEVM,
AD LECTOREM.


Quod sibi non constat Leus, & uelut ebrius audet,
Emotæ mentis quid nisi signa uides?
Quod modo quæ dixit, post inficiatur & idem,
An non immemoris, res erit ista, sui?
Quod furit, & passim conuicia barbara iactat,
Vnde hoc? quod neq; cor is neq; pectus habet.
Improbis in fontem quod crimine lædit amicum,
Hostis amicitia hic nõne uocandus erit?
Quodq; stilo lacerat, per quem profecit, Erasmus,
Ingrati hoc quis non arguat esse uiri?
Quid? quod non una detraxit epistola eidem,
Hoc detractoris quid nisi munus erat?
Palpat iam paucos quod ficto pectore nostros,
Quid nisi uulpeculæ hic induit ille pilos?
Quodq; mala doctos nunc concitat arte Britannos,
Quid nisi perfidia hinc dedecus inde petit?
Quodq; solocissimos rudenti gutture crebros
Egerit, hic asino quæ nisi digna facit?

Oleuitas hominis, sed & hanc quoq; nomine prodit,
Qui Leus est, unum iota fit adde leuis.
Quod si pro uitiis leuius tot forte uidetur,
Adde unum sigma & cappa, fit inde SCELVS.

Ex ædibus Capitonis extemporaliter.

FINIS.

BASILEAE, APVD ANDREAM CRA
TANDRVM, MENSE IVNIO.
ANNO M. D. XX.





I. **C** d. i. **W** m. i. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**.
 I. **C** d. i. **W** m. i. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**. **W** n. **W**.

18

C







503
Georgs-B.







it uide/
pietas,
s Chri

oximū
genera-
lare ui/
ruptus.
n uelut
umultu
d Ger-
re nouo
ec noua
e huius
cata.
animo
. Præfer
manis &
euange-
sti. à p. l. b.

